



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 3. Pro peccatoribus, pro hæreticis, schismaticis, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



rum, sic dicens: *Mysteriorum conscii Discipuli Salvatoris, & sacri Apostoli in tremendis & vivificis Mysteriis, memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt, sanxerunt.*

S. Aug. Serm. 31. De verbis Apostoli. cap. 21. Et idem Divus Augustinus in alio loco ait: *Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in Corporis & sanguinis Christi Communionem defuncti sunt, cum ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro eis quoque id offerri commemoretur.*

S. Chrysost. hom. 69. ad pop. Antioch. Non temerè, ait S. Chrysostomus, ab Apostolis, hac sancita fuerunt, ut in tremendis Mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cum enim totus constiterit populus, extensis manibus, Sacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur Sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?

S. Isidor. De Off. Ecclesiast. cap. 18. Sacrificium, ait S. Isidorus, pro defunctorum Fidelium requie offerri, vel pro eis orari, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus, quòd ab ipsis Apostolis traditum est.

Quaest. 2. Potest-ne Missæ Sacrificium pro iis offerri, qui absque Baptismo decesserunt?

Resp. Non potest, neque etiam pro iis, qui in hæresi mortui sunt, cum nullum possint à Sacrificio fructum percipere. Noli credere, ait S. Augustinus, nec docere, nec dicere, Sacrificium Christianorum pro his, qui non baptizati de corpore exierunt, offerendum, si vis esse Catholicus.

Quaest. 3. Potest-ne Missæ Sacrificium offerri pro peccatoribus, pro Hæreticis, pro schismaticis, & infidelibus?

Resp. Responderi potest cum S. Thoma, posse offerri Sacrificium pro iis, qui actu



De Sacrificio Missæ. Cap. VI. 261

sunt, vel possunt esse membra Ecclesiæ, cuiusmodi sunt omnes in quæsito relati, nisi id expressè ab Ecclesia prohibeatur. *Eucharistia*, inquit, in quantum est Sacrificium, habet effectum etiam in aliis pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantum: & ideo si eos dispositos inveniatur, eis gratiam obtinet virtute illius veri Sacrificii, à quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens peccata mortalia in eis delet; non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat; & quod in contrarium dicitur ex *Divo Augustino*: Quis offerat Corpus Christi nisi pro his, qui sunt membra Christi? *Intelligendum est pro membris Christi offerri, quando offertur pro aliquibus, ut sint membra Christi.*

*Quæst. 4.* Potest-ne offerri Sacrificium pro nominatim excommunicatis, ac proinde non toleratis inter Fideles?

*Resp.* Nunquam pro iis offerri potest Sacrificium, neque pro notoriis Clericorum percussoribus, donec obtinuerint absolutionem excommunicationis, in quam inciderunt, ut patet ex cap. *A nobis*. De sententia excommunicationis; ubi id expressè prohibetur his verbis: *Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo.* Idem decreverat *S. Leo Papa* in *Can.* his verbis: *Non autem quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Licitum tamen est, secundum doctrinam *Divi Thomæ* supra relatum, rogare Deum pro illis, ut illos ad pœnitentiam reducat per veram contritionem.

*S. Tho. in 4.  
dist. 12. q. 2.  
art. 2. quæst.  
2. ad 4.*

*Can. De Commu-  
nicantibus.  
24. q. 2.*